

protestamur, quod cum felicis recordationis Fredericus¹⁾ Misnensis, Orientalis ac de Landesberch²⁾ marchio praedecessor noster patruus ac patruelis noster pro unione et redemptione terrae, quae ad ipsum et patrum suum illustrem principem Albertum Thuringorum lantgravium ex morte bonae memoriae domini Heinrici Misnensis et Orientalis marchionis iure hereditario fuerat devoluta, premeretur nimio onere debitorum, ut portionem patrum suum lantgravium contingentem concambio bonorum et parata pecunia redimeret et uniret, saluti suae salubriter cupiens providere in sanitate plenissima constitutus convocatis consiliariis suis fidelibus, nobili viro domino Alberone burchgrauio³⁾ de Liznik⁴⁾, Heinrico de Zwem⁵⁾ ipsius patruelis et nostro prothonotario, domino Thimone dicto Knut⁶⁾, domino Heinrico de Trebecin⁷⁾, domino Theoderico dicto Pubs, domino Theoderico de Honsberch⁸⁾ militibus, ipsos pro solutione debitorum obligavit, praecipue pro debitis, in quibus curiae Romanae et terrae sanctae fuerat obligatus pro decima, quam tulerat in ecclesia Misnensi, quae pro servatione⁹⁾ a legato papae et collectoribus decimae reposita fuerat ad armarium Misnense, obligans¹⁰⁾ ipsis fideiussoribus nominatis castrum¹¹⁾ et civitatem Pyrne¹²⁾ cum omnibus ipsorum iuribus et pertinentiis, ut quicquid¹³⁾ de ipso humanitus eveniret, dictum castrum Pirne¹⁴⁾ et civitatem venderent et se ipsos absolverent ab onere debitorum, quam quidem obligationem in voluntate ultima renovavit. Postmodum vero memorato patrueli nostro de praesentis vitae medio prohi dolor evocato dicti consilarii et fideiussores, ut se ex onere debitorum eximerent, saepedictum castrum Pirne et civitatem¹⁵⁾ cum ipsorum pertinentiis venalem exhibebant. Verum quia saepedictus patruelis noster F. Misnensis marchio tam Dresden¹⁶⁾ quam Pirne cum ipsorum pertinentiis a venerabili patre domino Withegone Misnensi episcopo in feodo receperat, qui in morte ipsius¹⁷⁾ ea sibi ex iure asseruit vacavisse¹⁸⁾, et ne devolverentur ad extraneorum dominium, per quod posset terra multipliciter praegravari, idem episcopus Misnensis dictum castrum Pirne et civitatem¹⁹⁾ cum omnibus ipsorum iuribus et attinentiis, bonis liberis et infeodatis cum exoneratione curruum et navium, quod vulgariter dicitur niderlage²⁰⁾, sive per Albiam descendantium seu ascendentium vel per terram venientium sal, annonam vel quaecumque alia mercimonia deferentium, et thelonio undecumque proveniente, cum iudiciis tam in civitate quam extra, piscationibus, venationibus, pratis, pascuis, virgultis, silvis necnon aquarum decursibus et omnibus iuribus et utilitatibus, quae ipsi territorio nunc insunt, inerant vel inesse poterunt in futurum, prout avus et progenitores nostri pacifice et quiete possederant, consensu nostro benivolo accedente pro bono pacis et vexatione, quae sibi et ecclesiae posset incumbere redimenda, et ut ad naturale et²¹⁾ debitum Misnensis ecclesiae revocaretur dominium, pro tribus milibus marcarum a saepedictis consiliariis purae emptionis titulo comparavit; in quorum bonorum possessione dictum episcopum et ecclesiam Misnensem conservabimus et defensabimus toto posse, nec ab aliquo nostrorum patiemur ipsum in praedictis bonis et iuribus impediri seu aliquatenus perturbari. Testes huius sunt nobiles viri Meinherus Misnensis, Otto de Donin burchgravi²²⁾, Vlricus de Maltitz miles et quam plures alii fide digni. Ut autem haec

2) Landisberg B. Landesberc C. 3) burchgrauio C. 4) Liznik B. 5) Zwem C. 6) Knuth B. 7) Trebezin B. 8) Honsberg B. 9) servatione B. 10) obligatis A. C. 11) et castrum A. C. 12) Pirne B. 13) quicquid B. 14) Pyrne C. 15) castrum et civitatem Pyrne C. 16) Dresden B. 17) eius C. 18) ea sibi dicit ex iure vacavisse C. 19) castrum et civitatem Pirne C. 20) niderlage nuncupatur B. C. 21) et fehlt C. 22) burchgravi C.